



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exacta Facti Species Cum solida Remonstratione non  
existentis Prætensæ Electionis Serenissimi Principis  
Josephi Clementis Bavariae Ducis junctâ resolutione  
diversarum quæstionum pro firmanda ...**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

Litteræ Serenissimi Glor. mem. ad Sanctissimum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38262**

nem, præstetis, S. Spiritus auram vobis, dilecti Filii afflatum usq; precamur, ac apostolicam benedictionem peramanter impertimur, datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die tertiâ Juli M. DC. LXXXIX. Pontificatus nostri anno duodecimo.

*Marcus Spinola,*

*Litteræ Serenissimi Glor. mem. ad Sanctissimum*

*Sanctissime Pater.*

Cum jam pridem Illustrissimo Domino, Sanctitatis Vestræ Nuncio momenta. exposuerim, quibus adductus fui, ut in Coadjutoris postulacionem consensum meum præstiterim, neq; per eam, quæ me jam opprimit ægritudinem, multa mihi dicere liceat, de hisce momentis sanctitatem vestram iterum non gravabo, at sanctissime Pater, cum per morbum, quo teneor, dissolutionis dies non immeritò timendus mihi veniat, antequam animam meam Deus à me repetat, devotionis meæ in sanctitatem vestram esse duxi, ut suæ Apostolicæ benedictionis præsidio mihi consulere, & Conscientiæ meæ Incumbere existimavi, ut ipsam, instantibus valdè precibus exorem, quatenus per coadjutoris deputacionem, prævertere velit Calamitates, quæ per sedis Coloniensis vacantiam, hanc Ecclesiam, measq; ores, quæ Christi sunt, infestare possent. Jam Ego sanctissime Pater omnibus votis optarem cunctis Ecclesiis, quibus divinâ providentiâ me præfecit eadem ratione provisum fuisse, sed cum id sperare jam vix detur, sive summo Creatori me ad se evocare placuerit, sive meliori sanitati Clementia sua me restituere, abundâ consolatione recreabor, cum saltem Ecclesiam Coloniensem, quæ ut omnium dignior est, ita in majori discrimine versatur, à vacantia periculis liberatam scivero, itaque sanctissime Pater, pedes sanctitatis vestræ amplexus eam enixè obsecro, & per Salvatoris nostri Charitatē obtestor, ut ultimâ me hac gratiâ reficere, hocq; ultimo forsân in Jesu Christo gaudij me perfundere amantissimè velit, ut scil. cum Deo libuerit, dimitti possit animus meus in pace, cum oculi mei salutare Ecclesiæ meæ viderint. Quæ sanctissime Pater, dum à Sanctitatis vestræ paterna & propitia charitate spero tranquillè & placidè, admodum diem Domini Expectans, præparabo illi spiritum meum, quem interim perenni & almæ sanctitatis vestræ benedictioni summâ cum pietate Commendo.

*Litteræ Illustrissimi Capituli Coloniensis ad Sanctissimum*

*Dominum nostrum*

*Beatissime Pater.*

Quamvis dubitare non possumus, quin ad sanctitatis vestræ notitiam deveniret, qualitor Deo ita disponente, Serenissimus & Reveren-